

65

*Situm Pitini Pisarenfis in oppido Macerata, quam Feltriam ad distinctionem Picena vocamus, agnovit Cluverius in sua Ital. Antiq. lib. II. cap. VI. Paullum immutat Holstenius in Annot. qui tamen haud dubie ex maceris, & parietinis Pitini Macerata III circiter milliariis ab Isauro flumine distat; jacetque ad torrentem quemdam anonymum (\*) quem forsitan uterque Scrip- tor, ut insanis quandoque fluctibus excrevit, amploque alveo continetur, pro Isauro, in quem se exonerat, acceperunt. Qua- rendum est igitur Pitinum istud Pisarense apud ipsum Pisau- rum (\*\*\*) amnem, cujus oppidi nullum ibi proximum vestigium mihi conspici licuit tunc, quum venatu assiduo ex Villula no- stra Seriole non longe distata ea loca perlustrabam.*

*Dum melior vires sanguis dabat.*

Ut lites has componamus, rem abs nemine haecenus ani- madversam in medium proferamus necesse est. Duplex fuit in hac Regione Pitinum, Pisarense alterum, cujus in nostrâ Inscriptione luculenta habetur mentio MUNICIPI PITINA- TIVM PISAVRENSIVM; alterum Mergens, quod ex Foro- fempronienâ Inscriptione a Grut. pridem editâ pag. CCCCXVII. 6. in lucem emergit, cujus partem in rei fidem exscribimus

C HEDIO . C . F . CLVST . VERO  
EQVO . PVBL . PRAEF . EQVIT . ALAE  
INDIANA . P . F . TRIB . MILIT . LEG . II  
TRAIAN . F . PRAEF . COH . II . LING . EQ  
II VIR . ET II VIR . QVINQ . QVAESTORI  
PATRONO . MVNICIPI . FLAMINI  
ITEM PITINO MERGENTE  
III VIR QVINQ . III VIR AEDIL  
PATRONO MVNICIPI PONTIFICI

I

Utri-

(\*) Elegantiſſime de eo Paſſerius noſter,  
Fiumicel ſenza Ninfe, e ſenza nome.

(\*\*) Flumen, quod Urbis muros aluit, ab antiquis Isaurus dictum vulgo creditur. Verum, ut recte Fabretus ſcribit, Piſaurus appellabatur. Pitinates non Piſarenſes, ſed Isau- ntes in Inſcriptione noſtra dicebantur, ſi amnis Isaurus fuiſſet. Plin. lib. III. cap. 14. in ſen a Italia Regione Piſaurum cum amne receſſet, id eſt cum amne cognomine; Si enim nomen fluxit ab Urbis nomine diverſum fuiſſet, utique illud non omiſſiſſet. Exprefſe Piſaurum vocat. Sicutus Flaccus de Condition. Agror. & Aggenus Urbicus in Commentar. de Controverſis Agror. P. ar. prior. & altera. Conſonat Vibii Sequeſtri teſtimonium in libello de Fluminib. Inde facile patet Lu- canum metro adſtrictum ex Piſauro, Isaurum feciſſe lib. II. Pharſal. dum cecinit  
Cruſtuniumque rapax, & junctus Iſapis Isauro.